INDULGENTIÆ.

Concessio Altaris Privilegiati perpetui in Ecclesiis *Scholarum Piarum.*

AD humillimas Preces Josephi Augustini Delbequii à S. Nicolao Cler. Reg. Congreg: Paup. Matris DEI Schol. Piar. nuncupatæ Præp: Genrlis, Ssmus D. N. Benedictus Papa XIV. volens omnes, & singulas Ecclesias Clericorum Regularium hujusmodi ubique terrarum existentes tam erectas, quàm in posterum erigendas, in quibus Aliud altare in perpetuum simili Privilegio jam decoratum non reperitur, & prævia in cæteris ejusmodi Ecclesiis revocatione ejusdem Privilegii quomodolibet ad tempus nondum elapsum forsan concessi, ac in eis situm Altare à respectivo Locorum Ordinario in singulis prædictis Ecclesiis semel designandum, hoc speciali Privilegio illustrare; ut quandocunque Sacerdos aliquis sæcularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti Regularis missam pro anima cujuscunque Christi fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare præfatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut D. N. Jesu Christi, ac Beatissimæ Virg. Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi Suffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, benignè concessit, atque indulsit. Non obstantibus in contrarium quibuscunque. Præsenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari. Datum Romæ 18. Martii 1750.

F. J. Card: Portocarrero Præf.
A. M. Erba Protonot. Apost. Secr.

Indultum pro Missa Votiva de S. Josepho Calasantio.

AD humillimas preces nomine Ordinis Nostri Benedicto XIV. porrectas, quibus petebatur Indultum pro Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus in Ecclesiis Nostris ad altare S. Josephi Calasantii Fundatoris Nostri celebraturis, ut diebus non impeditis possint dicere Missam Votivam de eodem S. Patre:

Ssmus benignè annuit pro gratia juxta petita, in Ecclesiis tamen Cleric. Regul. Schol. Piar. & pro diebus non impeditis. Die 16. Januarii 1751.

Joseph Livizzani Secretarius.

Conces-

Concessio Indulgentiarum in Festis B. Mariæ Virg.

CLEMENS PAPA XIII.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD augendam. Omnibus, & singulis utriusque sexûs Christi fidelibus verè pœniten. & confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictæ Congreg. Schol. Piar. tam erectis, quàm in posterum ubicunque erigendis, in Conceptionis, Annuntiationis, & Assumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ festis diebus à primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia *&c.* pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Dno concedimus. Insuper eisdem Christi fidelibus etiam verè pœnitentibus & confessis, & S. Communione refectis, aliquam ex prædictis Ecclesiis in Nativitatis, Præsentationis, Visitationis & Purificationis ejusdem B. Mariæ Virginis Immaculatæ festis diebus, ut supra, visitantibus, & ibidem orantibus, quo die similiter prædictorum id egerint, septem annos, & totidem Quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus; quas omnes & singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes etiam animabus Christi fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Novembris 1762. Pontificatûs Nostri anno quinto.

N. Cardinalis Antonellus.

Concessio Indulgentiæ plenariæ perpetuæ in Festo Sanctissimi Nominis Mariæ.

CLEMENS PAPA XIII.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD augendam. Omnibus, & singulis utriusque sexûs Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictæ Congregationis Schol. Piar. tam erectis, quam in posterum ubicumque erigendis, die Festo SS. Nominis Mariæ à primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia *&c.* pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris *&c.* Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 14. Januarii, 1763. Pontificatûs Nostri anno quinto.

N. Cardinalis Antonellus.

Indul-

Indulgentia pro Festo S. Josephi Calasantii.

Provinciarum Poloniæ & Lithuaniæ Decretum.

AD humillimas preces Clericorum Regularium Ordinis Scholarum Piarum in Poloniæ & Lithvaniæ Provinciis existentium, Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XIV. benignè inclinatus, concessit translationem Indulgentiæ plenariæ jam elargitæ à s. m. Clemente XIII. sub die 1. Decembris anni 1767. Universis utriusque Sexûs Christi fidelibus, qui verè pœnitentes confessi, Sacraque Communione refecti aliquam ex Ecclesiis eorundem Clericorum tam erectis, quàm in posterum erigendis devotè visitaverint in die 27. Augusti pro Festo S. Josephi Calasantii ejusdem Ordinis Fundatoris, ad diem 4. Julii in omnibus Ecclesiis Oratorum; ad quam diem pro Regno Poloniæ, & Magno Lithvaniæ Ducatu, ejusdem Sancti Festum translatum est, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis sub die 9. Decembris 1769. quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus, præsenti in perpetuum valiruro. Voluitque Sanctitas sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romæ ex Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiarum die XVI. Januarii Anno MDCCLXX.

S. Borgia Sacræ Congreg: Indul: Secretarius.